



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo

Zype, Frans van den
Antverpiæ, M. DC. XLV.

Resp. I. De indicta comparitione ipsorum Itigantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

de indic. vt iudex partes interroget, an adhuc aliquid velint actis suis addere, non dicere volentibus, locum non dare, aut in causa super eo puncto nō instructa ius dicere: & tamen Nuntius tam in causa principali retractaueſt ſententiam, quā in causa deuolutionis, ſeu deſertionis ad ſe cauſam deuolutam &c. declarauerit:

In hac 3. inſtantia dicendum eſt in principali appellationis cauſa, lite non conteſtata, nec ex prioribus actis vtrimque concluſa perperam pronuntiaſſe definitiuē: priorem ſententiam reuocando: & quoad deſertionem ſeu deuolutionem, quamuis ex iis, quæ ſuprà diximus, de iuris præſumptione determinari cauſa potuiſſet: tamen quoniam in hac materia ordinis & matrimonij etiam exuberat officium iudicis; vt ſicut in parochis ſtatutum eſt in c. 3. X. de clandest. deſp. vt in contrahendis matrimonij ipſi etiam inueſtigent an nulla ſubſint impedimenta; ſic & in contractis, dum in controverſiam præſertim vocantur, iudici ex officio conuenit ſi quid rimetur, plenius excutere. c. porro X. de diuort. etiam parte inuita ſententiam detecto errore retractando, Sanchez de mat. lib. 7. d. 100. n. 2.

ideo recte teſtimonia etiam iudex excuſſit, quæ ſuper ſcientia plus quā per dies decem ante appellationem in tertia inſtātia ſunt audita: quamuis iis à producentibus renunciatum erat: & cum ex iis conſtet intimatum ſcientiam habuiſſe ſententiæ plus quā decem diebus ante appellationem; id ex actis coram ſe deprehendens cauſam deſertam, & ſententiam rem iam iudicatam eſſe ſcītam inueniens, rei iudicatæ auctoritatem ſequi poteſt, iuxta d. c. ſi appellat. ea publicare, & parti ſiquid contra producere voluerit præſcribere; & declarare ad Nuntium 2. inſtantiæ iudicem cauſam non fuiſſe deuolutam; conſequenter ſi ex priuilegio cauſæ matrimonialis poſt rem iudicatam intimatus audiri nihilominus velit, id proponat, ſub modo eodem priuilegij, ſcilicet coram primo iudice, ſub forma primæ nouæ coram eodem inſtantiæ, & querelæ, non appellationis; vt ſuprà latiùs explicatum eſt. qui porro diſpiciat argumentum querelæ an apparens ſit, nec ne; & ad audientiam ſit ille reſtituendus, & ulterius decernat, quod cauſæ ratio dictabit.

LIBER SECVNDVS.

De Iudiciis.

RESPONSVM I.

De indicta comparitione ipſorum litigantium.

Quæritur vtrum in cauſa matrimoniali iubere iudex poſſit partem ipſam, etiam mulierem, coram ſe comparere, & reſpon-

dere etiam ſub iuramento calumnix, an omnino per procuratorem ſatiſfacere illa poſſit. Non parum diſſentire videtur c. paſtoralis X. de indic. & c. 1. de inſtr. iudic. in 6. ſtatutum, inquit illud, vt principales perſona non per aduocatos, ſed per ſeipſas factam preſententur, niſi forte ſint adeo indigeſtes, ut earum defectus de iudicis licentia per alios ſupplatur: hoc autem, varia

inquit, esse ambigui non videtur iudicem delegatum iudicare non posse alteram partem coram se personaliter in iudicio comparere, nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda vel aliis pro iuramento calumnia faciendo, vel alia iuris necessitas partes coram se exegerit comperere. ecce prior decretalis regulam facit, vt partes principales de facto suo dicant; & excipit indiscretas dumtaxat: altera regulam negatiuam facit; vt iudex non possit partes principales comparere; & excipit casus tantum quos mox illius verbis recitauimus. nam quod d. c. 1. delegati iudicis meminerit, recte Glossa ad *V. delegat.* etiam de Ordinario dicendum asserit: & ratio suffragatur: & d. c. pastoralis indistincte loquitur.

Et quidem d. c. pastor. aduocatos excludit a facto proponendo, in iure autem allegando non excludi, recte Panormitanus alijque censent. sed quod ille procuratores admittat ad factum proponendum, quod & ipsi sint principales, utpote litis & instantie domini, c. 2. de procur. in 6. non aequè recte. non tantum quoniam procurator per litis demum contestationem dominus litis efficitur; propositio autem facti omnino antecedit litis contestationem: & exceptio, nisi persona fuerint indiscreta, in procuratoribus locum non habebit, cum tales procuratores esse non possint, quin & in hac ipsa materia iuramenti calumnie in d. c. 1. excepta lex generaliter §. his de presentib. C. de iur. iur. procuratorem & principalem personam inuicem opponit; vt quamuis per procuratorem lis ventiletur, necesse etiam sit vel ipsam principalem personam ad iudicem venire. ideoque rectius Imola quod de aduocato est dictum, in procuratore recipit. ex identitate rationis.

Porro lex vlt. C. de procurator.

permittit in pecuniariis causis ei, qui in ius vocatur, per procuratorem respondere: & plura iuris loca quae citat Glossa in d. c. 1. v. iudicem. additque recte iuris beneficium nemini esse auferendum.

Excipit autem d. lex vltima si partes forte iustiores sint quam procuratores, eos iudicis vocabit auctoritas. vnde constat etiam alias causas admitti, quam in d. c. 1. sint exceptae: secus quam aliqui putauerint. apud Ioan. Andrea in d. c. 1. vt & illa verba d. c. 1. vel alia iuris necessitas partes exegerit personaliter presentari. vt sub necessitate causae opportunitas, & quaecumque iusta causa accipiendat sit. quem admodum Clementina saepe de verb. significat. interrogabit etiam partes, inquit, siue ad earum instantiam, siue ex officio, vbi cumque hoc equitas suadebit. sufficit ergo quaecumque aequitas ad partes ipsas vocandas.

Si sententia Panormitani de non excluso per d. c. pastor. procuratore recipiatur, facilis est solutio dissonantiae d. c. pastor. & d. c. 1. quod si quid procurator agat, dicetur agere principalis, siue factum proponendo, siue respondendo: & recte Panormit. docuerit omnes hęc improprias esse exceptiones, quas glossa & DD. ad d. c. pastor. proponunt. quae tamen communi intellectu seruato non sunt impertinentes.

Ex d. c. 1. de iud. in 6. constat ad iudicem vocari partem posse pro veritate dicenda, seu ad positionibus respondendum c. presentium de testib. in 6. sufficienter facias a partibus ad inuicem responderi. vel calumniae iuramento. & consono d. §. his d. auth. principales. C. de iur. cal. ita tamen, vt nisi iusta causa suadeat contrarium, per specialem etiam procuratorem possit admittere iudex calumniae iura-

E 2 iura-

4. Praetium magis legales sint quam procuratores.

5. Aut alia iusta ex causa:

6. Pro veritate dicenda, respondendum positionibus.

7. Iurandum de calumnia:

8.

3. De pecuniariis.

Egregia personis & nobilibus mulieribus domū mittitur iuramentum.

iuramentum præstari. c. fin. de procur. in 6. et si ad egregias personas domum mitti iuramentum debeat. l. ad personas. D. de iureiur. quæ quales sint, & vt eis mulier æquiparetur, vide Menoch. de arbit. cas. 70. & verò de honestis, ne in publicum protrahantur, capitaliter sanxit l. 1. C. de offi. diuer. iud. & d. l. generaliter. §. fin. autem coniungit personas, quas dignitas, vel lexus non concedit ad iudicem peruenire. & c. periculoso de stat. regul. in o. iuri contrarium dicit, vt mulieres per se litigare cogantur, & omnino in regularibus vetat.

Porrò & d. §. fin. autem cum domum litigatoris iuramentum mittitur, illud ait procedere parte vel procuratore eius præsentem: sed d. Auth. principales Mulier, inquit, honesta vita absente aduersario iuret coram officialibus, aly coram officialibus cum aduersa parte. & consonat d. §. de presentib. in verb. licentia danda etiam parti alteri, vel per se vel per procuratorem adesse his, qua iuramento aguntur.

Sed quid hic vsus habet

Sed vsus harum prouinciarum habet vt honestate salua virgines, viduæ, matres-familias in publicum prodeant, ad templa, rerum venialium fora, officinas, & iudicia: adeoque si examinandæ sunt in causa sua vel aliena, si iuramentum calumniæ ab eis præstandum est, ad iudicem veniant: præsertim si is sit maioris iurisdictionis, causa criminalis, aut aliàs ardua, in qua vel testium, vel partium examen vix subdelegari possit. solent ideoq; iudices etiam ipsi ad ipsarum mulierum ædes venire, si præsertim illorum respectu sint egregiæ: quamquam summorum iudicum intuitu egregiæ non dicerentur. vt hæc qualitas respectiua sit inter iudicem & litigantem, quamuis aliàs Menoch. vbi sup. in fin. personam quamuis nobilem pro egregia accipiat, æquiparetque mulierem.

Rectè igitur ad mores patrios hic Officialis dioecesanus in causa matrimoniali mulierem communi gradu nobilem, non illustrem, sua dioecesis, ac deinde metropolitani, denique delegatus Apostolicus coram se comparere, & sub iuramento calumniæ ad positiones partium, ac puncta officij præsentis aduersario respondere iussit, & consonant statuta Prouincialia Mechlin. De modo procedendi. or. 1. 4. in causis officij, deflorationis, oppositionis bannorum & c. vbi diuæ quæstiones matrimoniales, vt frequentiores, omnium vice ponuntur. Quinimo in c. accedentes. X. de procur. mulierem nobilem quæ in aliquo loco sub potestate erat, iubetur iudex mandare aliud transferri in plena gaudeat libertate ad effectum dandi procuratorum in causa matrimoniali: quanto magis ad iudicem venire, vt ei de libertate constet, & an ex eius voluntate agatur, aliàsque respondeat prout rei opportunitas exigit.

Quoniam verò ex metu reuerentia tutoris, atque aliàs non liberè dicere, gerere allegatur, iudex eandem loco libero & tuto sequestrari iussit. cum etiam ex altera parte, qui eius nuptias prætendebat, infidiari ei allegaretur. nota, inquit Panormitanus in c. loco. X. de sponsal. quod ubi est invidiosus animus puella, super contractu matrimonij, debet iudex ex officio prævidere, vt collocetur in domo in qua nihil metum nullamque violentiam habeat timere. ex quo, inquit, edictum infero, quod si timetur de violentia, & metu parentum, puta quia puella contraxit clam, parentibus in scitis, si sus noster est, quod ad petitionem parentum, & collocare eam in aliqua honesta domo; puta in monasterio monialium. vt in c. penult. X. de probat. v. l. apud honestos consanguineos puelle. sametsi c. cum locum iudicis distinctè loquatur; in domo in qua

nihil ipsam timere oporteat. d. c. penult. monasterium in quo securè valeat commorari. c. ex transmissa. X. de restitut. spoliat. alicui, inquit, proba & honeste mulieri custodienda studiosus committatur, in loco, inquit, ubi vir vel parentes eius mulieri nullam possunt violentiam inferre. In casu autem indagandi animi rationem assignat d. c. cum locum, quòd cum matrimonium cõsensu constet, plena debeat securitate gaudere: & is, cuius super illo est animus indagandus, ne per timorem, inquit, dicat sibi placere, quod odit.

Tempus autem sequestrationis dicit huiusmodi d. c. cum locum donec causa terminata fuerit, & sententia sine contradictione cuiuspiam valeat executioni mandari: & d. c. penult. donec, inquit, iudiciali sententia quid agi debeat decernatur: d. c. ex transmissa vsq. ad causa de isonè, vt quamuis Intimata in priori instantia, vel ex officio vel aliàs fuerit in monasterio sequestrata, & deinde dimissa; à iudice appellationis iterum sequestrari possit reuiuifcente causa metus: præsertim in virgine; si pendente lite procos ad colloquium admittit: aut ad diuertendos affectus parentes eos conciliant, ne quid accidat quo minus postmodum in eadem causa listi possit. iuxta l. 11. D. si quis cautioni Ioan. Andr. post Hostien. in d. c. cum locum. & vt vitentur pericula armorum inter sponsum & alios procos, vt nuper ad illa ventum inter sponsum & tutorem virginis. Qui armorum timor in quocumque possessorio iustissima semper habita fuit sequestrationum causa. l. Imperatores in fin. D. De appell.

Sed an liber haberi locus ita debeat, vt & sponso pateat ad colloquium accessus, sublato violentiæ periculo? & cum possessio sua nemini debeat interuerti, cessante causa, seu huiusmodi periculo; dicendum est ex edicto prætorio omnino sponsum de futuro, & magis de præfenti, si qua in posses-

sione fuit, non temerè esse turbandum; sed ad colloquium admittendum cum moderamine: ne affectus sponsæ auertatur omnino; & vt coniux, qui fuit in plena possessione, ad plenam restituitur, d. c. ex transmissa; ita qui non peruenit ad copulam, sed colloquia dumtaxat, & tractatum quasi coniugalem, ad eundem restituitur, cessante vt suprâ periculo. vt quæ de toto statuta sunt, de parte recipienda sunt. l. qua de tot. D. de rei vindicat. ex æquitate edicti prætorij vt possidetis, ita possideatis: plenè possidetis, plenè possideatis: si semè plenè, ad eandem proportionem. & cum eadem est ratio, quæ in nuptiis statuta sunt, recipiuntur in sponsalibus. L. Oratio, D. de sponsal.

RESPONSVM II.

Summarie decidendas esse causas monachorum, & clericorum.

Id præcipiunt in monachis nouella 79. in clericis Nouell. 8. causarum summariarum omnes articuli sunt summarij. Marant. in spec. part. 4. d. 9. n. 40. post Barb. in extrau. adreprim. verb. summarie. & potè regularium causas summarias esse liquet d. nouel. 79. & c. olim 26. X. de accus. c. qualiter 24. in fin. eod. c. ea que. in verb. absque iudiciorum strepitu. X. de stat. monach. Card. & DD. in c. dispensio sum de iudic. in Clemen. sed & D. Augustinus in Regula, sub qua & hic de quo agitur ordo est, & secudum quem prælati regere debent, lites, inquit, aut nullas habeatis, aut quam celerrimè finiat, ne ira crescat in odium, & irabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. & quamuis non omnino de iudiciis ibi agat, obligat tamè Regula & in his, quatenus seruari potest, & causæ influunt.

In summaris autem Clementina

E 3 tina

12. Quanto tempore?

13. Vt in eadem causa listi possit.

14. An accessus sponso ad sequestrationem dandus?

15. Ex iure.

2. Et regula 5. Augustini.